



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Svpplementvm LXXVI. Ad pag. CLVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

præclari mo nunquam satis laudandi Legem operis, constituit, ut de injuriis illatis alicui Philosophicæ Scholæ, minoribus quidem Sacerdotes, majoribus autem rerum venialium curatores, cognoscendi judicandique habeant potestatem.

SUPPLEMENTVM LXXVI.

Ad pag. CLVII.

Reipublicæ alicujus formam in Parisiensi quidem schola cœpisse jam seculo tertio decimo, videtur certum esse & posse securè affirmari. Et verò integro illi corpori Academico non defuisse *Rectorem*, liquet ex verbis epistolæ Innocentii quarti aut sexti ad Universitatem Parisiensem scriptæ, quæ fide Middendorpii jam tum in Dissertatione adduximus pag. 151. *Statuimus quod nullus in Universitatem vestram Magistrorum & Scholarium, aut Rectorem vel Procuratores vestros cujuscunque aut quarumcunque Facultatum &c. audeat sententiam promulgare.* Audimus hic simul nomen *Facultatum*: quo patet, tunc temporis fuisse Parisiis jam varias Facultates sive collegia doctrinarum. *Procuratores* porro *Facultatum* videntur illi esse qui aliàs *Decani* audiunt. Fuisse autem & *Decani* appellationem tunc usu Parisiis receptam, ostendunt verba Lanfranci Mediolanensis patriæ sed Parisiensis Medicinæ Doctoris, quæ ille habet sine operis *Chirurgia completæ* dicti, scripti anno 1295. ubi ait, *se à quibusdam Doctoribus, & nominatim à Magistro Joanne Passavante Medicorum Decano, nec non à quibusdam valentibus Baccalaureis rogatum, ut lectiones Medicas aggrederetur, tanta subinde Scholasticorum multitudine fuisse stipatum, ut eorum centesima parte se minime dignum agnosceret & arbitraretur.* Cum autem Medicis suus fuerit Decanus, non potuerunt non & Theologi aliquem habere & Philosophi. Jam porrò & *Cancellarium* tunc fuisse constitutum,

Aaa 2

à quo

a quo Artistarum qui appellabantur & Medicorum collegia honorum Academicorum collationem petierint, jam tum notum est ex Bullæ Gregorii IX Papæ illis verbis quæ non in Supplementis duntaxat sed in Dissertationibus sæpiùs protulimus in mediam. Illis nempe: *De Physicis autem & Artistis Cancellarius promittet, bonâ fide examinare magistros, & non nisi dignos admittens repellat indignos.* Ubi etiam *examinum magistralium* deprehendimus memoriam. Procul dubio autem habuit tunc & Theologica Facultas suum Cancellarium: quia isthac tempestate cœperunt utiq; graduum Theologicorum qui vocantur discrimina, & prævia honoribus varia exercitia, ceu jam tum ex Filesaco in *Dissertationibus* non semel docuimus. Denique verò & Jurisdictionem aliquam singularem Academiae tunc fuisse concessam ostendimus. Ex quibus omnibus manifestum sit id quod diximus, Rempublicam nempe Academicam quandam seculo Christiano decimo-tertio Parisiis institutam esse. Eapropter arbitramur, & Bononiæ idem quid factum, ut & Patavii aliisque in Italiae locis, ubi tunc Scholæ Academicæ sunt natæ.

Quamquam verò respublica aliqua Academica jam tunc cœperit, verum est tamen id quod habet *Dissertatio*, in Germania nostra illam formam, quæ jurisdictionem solis tribuit Professoribus, longè esse recentiore.

SUPPLEMENTVM LXXVII.

Ad pag. CLVIII.

Quæ narravimus de vindicata duorum Scholarium Parisiensium morte, nescio an non facta fuerint, ideo quod Scholares illi simul fuerint clerici. Ita autem isthæc jure non possent trahi ἀπλῶς ad studiosos omnes quamvis laicos. Id quod monendum duximus,

SUPPLE-